

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 78.

Elysium-Meum. Die Martis 30. Octob. 1810 (Neov. 12. Oct. 1810.)

Tempora mutantur et nos mutamur in illis.
Oblectatio in Elysio.

Complures Umbræ circum venerabilem condam Civem vulgo *Spicularium* adpellatum congregatæ, hiante ore, oculisque intensissimis ejus narrationi operam dant, cujus hic in *essentialibus* tenor est:

Notum vobis perspectumque est, dilecti animo Condives! me a stigio navarcho jam septuagesimo supra octavum decimum sæculum anno ad has oras expeditum atqua trans stigas vectam esse undas. Omnes, quotquot in venerabili hac Corona continemur recentioribus temporibus grandia ex superiore mundo ex advenientibus Umbris, atque, quas secum attulere, Novellis percepimus. Multi vestrum, cum primis ego de omnibus quæ illi memorabant, vehementer dubitavimus, advenas vaniloquos homunciones, Novellas, quantum in superiore mundo tanta est copia, atque tam innumeræ prostant, quam arena maris, & capilli in venerabilibus Capillis nostris, has inquam Novellas commentitias pagellas usque reputabamus, quo fortuito in mentem mihi venit, faventem occasionem subfurandam esse, a que a Diapitre trimestrem veniam discedendi expecta-

dam iter in superiorem mundum instituendi, & in persona certiora de adjunctis Europæ in primis dolois patriæ nostræ Germaniæ colligendi. Cum senecionem læti animi offenderim, voti damnatus, veniaque petita donatus, ad Jocum hunc, ut ipse agebat, propriis usurpandum oculis, qua obtenta, non distuli, quin e vestigio in secreto Tonantis Conclavi litteras liberi commestus, quas vulgus Passuales adpellitat, expediendas curarem, siquidem ad aures pervenit mess, in superiore mundo de præsentis internæ securitatis solertem vigilantiam, quam ibi strictam Politiam vocitant, adhiberi, deprehendique. Postquam eas subscriptione & sigillo rite munitas roboratasque habuisssem, mox Cultu decorus notabilisque in superiore mundo ut compaream indui carmesini rubri coloris togam, coerulei coloris serico subductam, sericeum candidi coloris thoracem & braeas, ambæ aureis fimbriis exornatæ in margine; nigri coloris sericea tibialia gravibus quadratis fibalis colligata, capiti imposui cyprio pulvere probe respersum calamistris eleganter adparatum Capillitium, in manu tenebam grandem hispanicum arundineum Scaptionem, nodo ex solido argento conflato communitum atrique coloris sericea ligula dependente, sacco imposui magnam meam argenteam pixidem, optimi grani hispanicam tabacam continentem, atque sic demum conformatus iter meum in superiorem mundum ingressus sum. Erat in regione Herciniæ syl-

va, in qua superas ad auras secundis avi-
 bus eluctatus sum. Mox ad urbem quæ pri-
 mum se meo conspectui exhibuit, tetendi, in
 via eleganter vestitum virum forte obvium
 habui, cultu habituque à meo multo diffi-
 millem abhorrentemque, quæ etiam ratio fu-
 erit, quod multum diu fixis me admirabun-
 dus contemplatus oculis, tandem me his allo-
 cutus verbis: ignoscat Dominatio audaciæ
 & curiositati meæ, sed vix fallar, si pere-
 grino ex solo adpulisse, in his oris hospitem
 dixerò. — Ita est, dicebam, nunc omnino pe-
 regrinus, quamquam in hac olim regione lu-
 ci editus, at ex longo jam tempore alibi se-
 dem fixi, atque ea sola ex ratione isthuc
 adveni, ut dulces lares revisam; Patria mi-
 hi urbs est Imperialis Civitas M—— „quam-
 diu jam, si ausim quærere, Dominatio tua
 isthinc abest? prosequabatur ille,“ Circiter
 octo lustra evoluta videntur, reposui; ergo
 40 reddebat ille anni? „diuturnum tempo-
 ris spatium! — ex eo temporis intervallo
 utique multa innovata, aliam formam adeptæ,
 & nova eventa locum habuere. — Sane anim-
 advertere licet, Dominationem tuam pridem
 jam has regiones non lustrasse, nullæ ampli-
 us Urbes Imperiales, sacrum Imperium Ro-
 mano Germanicum nullum existit.

Equidem ex Novellis de hoc quiddam
 intellexi, at nunquam eis fidem dare volui,
 & inter amica hæc colloquia opinione ocuis
 ad urbem pervenimus, quam ex aliquot mo-
 numentis patriam mihi esse agnovi. — Cujus

quæso, Juri, paret hodie hæc Civitas? quæ-
sivi sollicita voce ex comite viæ meo: „Si
Dominatio tua, aj-bat ille, mihi honorem
impertiverit, modica tecta mea subeundi,
aliquantulamque in iis moram exigendi,
tum dabo operam, ut curiositati huic faciam
satis,” dictum factum, accepto amicam in-
vitationem.

Jungimus amici dextram, et tecta subimus.

Gratiosus plurimumque officiosus vir
omni cum hospitalitate me excipere, & post-
quam aliquot generosi Rhenani mensæ adpo-
sisset lagenas, sic ultra locutus:

„Fervente in Galliis revolutione Ger-
mania nostra diuturna acris & cruenta bel-
la gerenda habuit; vetera quippe foedera, &
formæ discerptæ erant; Gallia in cunctis præ-
liis prævaluit, potens & ampla fuit. Impe-
rium Germanicum nexu se Austriaco ab-
solvit, foedusque erexit Rhenanæ sub Con-
foederationis nomine; Plurimi Germaniæ
Principes Anno 1806 huic accesserunt foederi,
solus, qui adversabatur ac tergiversebatur
erat, Hassiacus aliique præterea plures qui
tandem etiam se inseri ei petierunt. Anno
1806 nepos Friderici Unici animum accepit
vires cum Gallia metiendi, hoc ausu plus
dimidiæ suæ Monarchiæ jacturæ tulit, ex
qua maxima pars Regno Vestphaliæ unita
est. Florenti huic potentique Regno hodie
moderatur eique supremi cum Imperantis Ju-
re præest Hieronymus Napoleo, germanus
Imperatoris Galliarum, constat id Electoratu

olim Hassiæ, Electoratu olim Hannoverano, & avulsis a Borussia ditionibus. Dividitur id in 11 Districtus, numerat 222 urbes, quarum præcipuæ sunt: Brunsvica, Magdeburgum, Cassela, Hannovera, Hala, Hildesheimium, Quedlinburgum, Luneburgum & Pa- ce Vestphalica 1648 longe celebratissima Os- nabruga & c. Militaris Status constat 24288 viris, & 3682 equis. Erogationum Summa effecit 10.773.854 Francoos. Accedunt una legio Hussarorum, & 4 pedestres de linea legiones, quæ statum 8 pene millionibus au- gent. — Cæterum Regnum Gallicis ex inte- gro legibus regitur. Conscriptio, seu Cen- sus obtinet, atque nationalis Prætoria mili- tia in universo Regno in ordinem red- ta est."

Hæc viri ad me verba erant, plura ad me locuturus erat, nisi hoc solo jam ani- mum convicisset meum: omnia, quæ in Infe- ris ex ore multarum umbrarum, atque No- vellis percipimus, tantum abesse ut falsa sint, ut potius nimis quam vera deprehen- dantur.

Quare certiora edocui in superiore mundo neo organisato ulteriores moras age- re non placebat amplius, subodoratus, ad vetustum morem exactum vestitum, habi- tumque non ei amplius admodum esse, quare hospitali viro gratiis actis valedixi, con- quisitisque ubi & unde poteram Novellis, reditum ad has oras admaturavi, quas hic cumulatim expando. — (Copiam Novorum protrahit, in quibus sequentia legit.)

Litteræ ex Gallia de 7. 7. Octob. Cuius-
 datio Anglicani Regiminis libertatem Mari-
 um agnoscendi, atque durante hoc bello
 velorum neutralium Jura honorandi, eis du-
 ras agendi rationibus ansam dedit, quæ ex
 aliquot annis adversus Anglicanum commer-
 cium in cunctis Continentis stationibus ini-
 tæ, quæ Galliæ influxui plus minus obnoxie
 erant. Finis earum erat, Anglicanum in
 continente Commercium perimendi, qui us-
 que Angli directe continentem contigere, ob-
 tineri nequivit. — Ex quo vero nexus eorum
 cum Continente invicem agentibus Statuum
 Europæ agendi rationibus interruptus, Clau-
 destino Commercio tanto major via patefa-
 cta est. Parisiis genuine innotuit: quamvis
 his mediis importatio Anglicanorum Fabri-
 catorum potissima parte impedita sit, Colo-
 nialium nihilominus mercium Invectionem
 perdurare, & eam præcipue ex Holsatia, in
 Megalopolitanum, Svecicam Pomeraniam,
 Borussiaeque oras, in parte quoque in Vest-
 phalicum olim Circulum locum habere. —
 Eodem tempore constabat: has merces a
 Germanicis speculatoribus in Anglia coemptas
 esse, venditoresque Anglos recepta obliga-
 tione polliciti sunt, emtas merces ad defi-
 xam stationem se deventuros, atque ab hoc
 tempore omne periculum emtorem, cui ulte-
 rior currulis expeditionis eura incumbit, ma-
 nere. Plerumque expeditiones id genus mer-
 cium navibus neutralium, præcipue Ameri-
 canarum velorum expeditiones procuraban.

tur, ad præcavendum quodvis periculum, si quo casu in portibus, quos naves illæ subiere lustratio instituta fuisset. In his portibus aderant aut Commissionati Societatum quæ advectarum mercium proprietatem acquisivere, aut ejates mercatores ulterioris harum mercium transportationis curam demandatam habuere. — Hæc ratione immensa Colonialium mercium copia Continenti illata atque ab ora maris, ad interiora Germaniæ in Helvetiam, & in parte, Galliam quoque delatæ. — Cum hæc rerum adjuncta Galliæ systemati adversetur abruptenda erant. Per Negotiationes Borussicæ aula permota est, ad omnem Colonie. mercium medio neutralium, aut quæ neutrales prætendebantur, navium advectionem vetandam. Militaris secundum oram Balthici ducta Borussica linea interdictum hoc armis adjuvando destinata erat. Eadem ex parte Sveciæ intuitu Pomeraniæ Jussa edita, Dania notis Deoretis ageudi rationem hanc adjuvit.

In Megalop. portibus, uti tota ora limitum Svec. Pomer. usque Hollandiam systema Exclusionis per Gallicos Inspectores, & milites custodiebatur. — Cum autem experientia docuerit, Coloniale Commertium per cunctas has ordinationes plene non impediri, clanculariumque continuo in quibusdam oræ stationibus obtinere, ideo in interiore Germania militares rationes ordinantur, ad lustrationes ibi instituendas, mercesque

in ora limitibus clanculum invecas, adprehendas. A mercibus intra fines hos jam existentibus Colonialibus ea præstatio pendenda, qua ea jam in Hollandia adfectæ, quæ in territorio Rhen. Foed. per ipsos Principes percipienda. In ipsa Gallia secundum Rhenanum litem Teloniatoribus severissima intuitu clanculariæ harum mercium invectionis Mandata edita. — At ad conservandum adoptatum systema aliis in ora regionibus eadem vigilantia extendatur, est necesse &c. &c.

Parisius 7. Octob. Hesterno in publica Sessione quam Classis elegantiorum artium habebat ampla præmia Pictoriæ Architecturæ Calcographiæ, & arti gemmis incidendum musicis operibus destinata, distributa sunt; primum præmium in pictoria obtinuit Dominus Michael Martinus Drolink Parisiensis annorum 23. Discipulus Cel. Dni. David, membri Instituti, alterum Dnus. Josephus Alexius Abel Valentianus annorum 25 æque discipulus Cl. Dni. David.